Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8454
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



·exo·

erit plaga in eis cum fuerint recensiti. Hoc autem dabit omnis qui transit ad nomen dimidium sicli iuxta mensuram templi. Siclus uiginti obolos habet. Qui habetur in numero a uiginti annis et supra dabit pretium. Omnis inquit qui numeratur idest qui transit ad nomen qui et re et nomine ascribit in populo dei ferat pretium non sit uacuus nec sine munere quia redemptio animae pretio diuitie. Sed quid dabit? dimidium sicli. Siclus enim uiginti obolos habet. Dabit igitur decem obolos. Sed quare decem? Vis audire quare? Quia decem sunt uerba legis. Tanto enim pro unusquisque redimit animam suam. Non occidisti unum siclum dedisti. Non es mechatus duos sicelos dedisti. Sic et in ceteris. Tot enim sicelos das quot precepta custodis. Unde secundum mensuram templi dari uolebant. In templo enim lex est. In templo decalogum reperitur et meritur. Maior autem pretium a uiginti annis et supra quia eius pretium non recipit qui decem non duplicat qui testamentum duplicare non intelligit qui secundum literam et spiritum utrumque testamentum non laudat expositionem. Hinc enim uidet hinc et exuidet reprobantur.

Diues non addet ad medium sicli et pauper nichil minuet susceptique pecunia quae collecta est a filiis israel trades in usus tabernaculi testimonii ut sit monimentum eorum coram domino et propitiet animabus illorum. Diues enim ad medium sicli nichil addit qui decem uerba legis obseruat nichil est quod ultra nus agat. Pauper uero nichil minuere debet. qui uero uno offendit factus est omnium reus. Omnis autem hoc pecunia tradat in usus tabernaculi testimonii. ut quicumque legis mandata custodit non ad fauorem uulgi sed ad dei uoluntatem hoc faciat. Semper illud in mente habeam. Amen dico uobis recepunt mercedem suam. Tales et tabernaculo testimonii inutiles sunt qui mutuerlin ex hijs non edificantur.

Locutus est dominus ad moysen dicens fac et labium eneum cum basi sua ad lauandum. ponesque illud inter tabernacula testimonii et altare. et missa aqua lauabunt in eo aaron et filij eius manus suas ac pedes qui ingrediuntur tabernaculum testimonii et qui accedunt ad altare ut offerant in eo thymiama domino ne forte moriantur. Legitimum sempiternum erit ipsi et semini eius per successiones. Quid enim per labium nisi baptismum? Quid per lutum eius nisi fidem intelligimus? Est autem labium eneum quia sine sono confessionisque non datur baptismus. Tolle aquam nemo est baptismus. tolle uerbum non est baptismus. Corde enim creditur ad iustitiam ore autem confessio fit ad salutem. Unde et pro paruulis qui loqui non possunt alij fidem promittentes intercedunt. Ponitur autem labium inter tabernaculum et altare. ut quicumque tabernaculum ingredi uel ad altare accedere desiderat prius aqua lauetur et baptismum sacramento regeneretur. Et prius quidem aaron cum filijs suis. nunc autem sacerdotes nisi cum omnium fidelium multitudine in uno labio lauantur. Omnis enim aut sacerdotes sumus aut filij sacerdotum. Et illi quidem manus et pedes nos autem totum corpus semel lauantes ab omni uitiorum sorde mundamur. Quinis nemo indigeat qui totus est nisi ut pedes lauet. Lauamur tamen et nos cotidie penitentia pleni compunctionis lacrimis et pietatis miseque operationibus. Nam et hoc labium est in quo sacerdotes ad altare accessuri cotidie lauari et mundari debent ne forte moriantur. Si enim timet mori lauetur ne moriantur. Non accedunt ad altare nisi loti. prope est aqua. prope sunt lacrime et penitentia. Sic enim David. sic et petrus mundatus est. Iterum enim uterus baptizari non licet.

Locutus est dominus ad moysen dicens. Sume tibi aromata pimenta myrrhe et electe quingentos sicelos et cinnamomi medium idest ducentos quinquaginta. Calami similiter ducentos quinquaginta. Cassie autem ducentos sicelos in pondere sanctuarij. Oleum de oliueto mensuram hyn. Per has enim quatuor species aromaticas quatuor iam sepedet uirtutes principales intelligunt. idest prudentia iustitia fortitudo et temperantia. Per hijs enim si oleum sanctum sanctis eis admiscetur fit unguentum admirabilis compositionis. Quo quicumque punctus fuerit absque omni dubitatione sanctificatur. Hoc enim unguentum saluatorem nouum nomen dedit ut ipse a christo dicatur. Unde et ipse ait. Spiritus domini super me eo quod unxit me euangelizare pauperibus misit me. Sequitur.

Facies quoque unctionis oleum sanctum unguentum compositum ex opere unguentarij et unges ex eo tabernaculum testimonii et arcam testamenti. mensamque cum uasis suis candelabrum et utensilia eius altaria thymiamatis et holocausti et uniuersam supellectilem que ad cul